





7688

*de Tepaneckum regisit;* 35

1720.2

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS

HUGO FRAN-  
CISC. HUNOLD,

J. U. D.

CONSILIARIUS REGIMINIS  
ELECTORALIS.

B. L. S.

---

ERFORDIAE,  
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPEGR.



Ebus atque fortunis nostris, quas  
benignum numen mortalibus con-  
cedere solet, non solum ipsi pro-  
re natâ uti; sed & illas in alios  
prolubitu transferre possumus, ni-  
si lex quibusdam hanc facultatem  
ademerit. Solennis vero Roma-  
nis transferendi rerum dominia modus fuit, qui per-  
ficebatur prævio testamento. Quod princ. I. de testa-  
ment. ordin. ex eo appellari dicitur, quod sit testatio mentis. THEOPHILUS Antecessor in paraphrasi græca in-  
stitutionum mentem TRIBONIANI ita explicat:  
¶ de diuinis rebus populis dicitur testamentum, inquit de jure, τὸ  
τεμνόδογλας quod testatio mentis sit. Quod Stoici Phi-  
losophi nimis sectati sint etymologias, eosque secu-  
tus sit TRIBONIANUS, ostendit ex pr. I. de testam.  
ordinand. §. I. quibus mod. jus patr. potest. solvitur §  
§. 2. I. de tutelis. magni nominis JCTUS, ÆGIDIUS  
ME-

MENAGIUS *amoenitat. juris civilis c. 39.* Definitio-  
nem accuratam testamenti adfert MODESTINUS l.  
1. *quiteſtamentum facere poſſunt*, nempe quod fit volun-  
tatis nostræ justa ſententia, de eo quod quis post mor-  
tem fieri velit. Testamentorum olim duo genera in  
uſu fuerunt, quorum alterum, quo in pace & otio  
utebantur, *calatis comitiis* appellabant, alterum *proci-*  
*gium* dicebant, quo in *prælium* exituri utebantur. De-  
inde tertium genus accessit, quod dicebatur *per æs*  
& *libram*, *vid. pr. I. de teſtam. ordinand.* Conferri  
hic merentur THEOPHILUS in *paraphrasi græca in-*  
*ſtitut.* GELLIUS noct. Atticar. lib. 15. c. 27. Antiquita-  
tes Romanæ ROSINO-DEMPSTERIANÆ p. m. 1267.  
Abrogatis tribus hiſce testamentorum generibus, ea  
teſtandi ratione uſi ſunt Quirites, quæ ex conju[n]ctio-  
ne juris civilis & prætorii orta eſt. In omni jam teſ-  
tamento respiciendum primò ad teſtatorem, porro  
ad modum teſtandi & denique ad voluntatem decla-  
ratam l. 4. *qui teſtamenta facere poſſunt.* In rite vero  
teſtatuſ requiritur mentis integritas, ejus libera &  
plena libertas ac certitudo, & ultimo legalis aptitu-  
do. His qui deſtituuntur teſtari non poſſunt. Hinc  
removentur impuberes l. 5. 19. ff. *qui teſtam. facere poſ-*  
*funt.* etiam accidente auctoritate tutoris l. 1. pr. ff. de-  
zut. *S. rat. diffrab.* quibus tamen aliquando princeps  
ex iusta cauila teſtamenti faſionem concedere potest  
arg. l. 7. ff. *qui teſt. facere poſſunt.* l. 43. pr. de *vulgari S.*  
*pupill. ſubſtitut.* STRYCKIUS de *cautel. teſtam.* c. 3. n.  
10. sq. Huc pertinent furiosi qua tales l. 9. C. *qui teſt.*  
*fac. poſſ. & qui iuſdem comparantur prodigi juridice*  
tales

tales l. 18. ff. qui test. fac. ebrii , irati , modo contra illum ira concepta sit , qui alias successionem sperasset .  
l. 84. ff. de R. I. Ex his consequitur , testamentum ejus qui animam agit , facile impugnari posse STRYKIUS c. l. c. 4. §. 36. quamvis testatorem non amplius in articulo mortis sanæ mentis fuisse , docendum sit . CARPZOV. part. 3. const. s. def. 1. Perfecta mentis & plena libertas excludit varias persuasions intempestivas , ut & blanditias saepius repetitas ac suggestiones fraudulentas . STRYKIUS de jure blanditione n. 25. seqq. Mentalis certitudo etiam necessario in testatore adesse debet . l. un. ff. si tab. testam. exstab. Hinc coeci non aliter condunt testamentum , nisi teste octavo adhibito , & ut omnibus testibus testamentum rite prælegatur , & simul haeredis persona circumscribatur . l. 28. §. 1. C. qui testam. facere possunt . Quod si testator rudis sit , litterarumque imperitus , non minus testamentum etiam judiciale in ipso judicio adhuc prælegendum est , nisi legitime facta prælectio jam præcesserit BRUNNEMANN. ad. L. 8. C. de testam. JUST. HENNING. BOEHMERUS in diss. de testamento non prælego . Huc referuntur quoque surdi & muti , quatenus nullis signis conceptus animi exprimere possunt , vel natura tales sunt l. 10. C. qui testam. fac. poss. STRYK. de jure sensuum diss. 4. c. 3. n. 41. & de cautel. testam. c. 4. §. 27. Legalis denique aptitudo tempore conditi testamenti , aliquando etiam mortis desideratur , quando scilicet mutatio status accedit . Excluduntur vero alii ob statum , alii proper delictum , ut carminis famosi damnati l. 18. §. 2. ff. qui test. fac. banniti SCHILTERUS

exerc.

exerc. 28. §. 21. olim etiam quilibet damnati ad mortem l. 8. §. 4. cod. apostata & hæretici auchem. credentes C. de heret. Hæc requisita cum in testatore necessaria sint, & æquitati naturali minime repugnant, nemo mirabitur GALUM l. 6. ff. qui testam fac. poss. filium familias surdū-mutum a testamenti factione arcere. Et quidem filius familias cum in potestate parentis existat, adeoque sui juris non sit, testamenti condendi facultate destituitur, nec juvat filium si pater ei testamentum facere permittat, est enim testamenti factio non privati sed publici juris l. 3. ff. b. t. cui a privato derogari nequit l. 38. de patr. Particula nihil magis significat hic idem, quod non ideo magis Glossa ad b. l. Continet enim negativam, sicut nihilominus affirmativam. Glossa in pr. I. quibus non est permisum fac. testam. De peculio tamen castrensi & quasi castrensi libere testari vallet pr. I. jam citato. Alter etiam pronunciandum est in donatione mortis causā l. 21. §. 1. ff. de donat. mort. causa, quia ad eam non requiritur, ut donans sit paterfamilias. Olim surdi & muti non semper testamenti facere poterant, sed potestas a principe impertranda erat l. 7. ff. b. t. sed illud postea per novam constitutionem in l. 10. C. b. t. sublatum censetur, cum dicta lex nihil amplius requirat, quam ut vel discreturn sit infortunium, vel alias surdus & mutus suam sententiam aliquo modo declarare possit. Videatur BRUNNEMANNUS ad b. l. Sed diutius hisce non immorabor, cum ex instituto in lectione cursoria legem qui in potestate parentis est 6. ff. qui testam. fac. possunt, fusius explicaturus sit.

*Nobilis & Clarissimus Dominus*  
**JOAN. GOTTLLOB SEYLERUS**  
Jurium Candidatus,  
Advocatus in Saxon. ordinarius juratus.

Qui anno ærae Christianæ MDCLXXXVII. die decimo Martii in pago Ragevviz prope Grimmam, honestis atque piis parentibus est prognatus. Patrem namque veneratur Virum admodum Reverendum DAVIDEM CASPAR. SEYLERUM, dicti pagi pastorem vigilantisimum; Matrem vero BARBARAM ELISABETHAM, JOANNIS MOESCHII, Cantoris Strehlensis filiam natu majorem. Horum optimorum parentum prima cura fuit, ut ipsum a teneris annis non solum pietate, quæ hujus & futuræ vitae præmia secum fert, sed & litteris liberalibusque artibus, imbutendum curarent. Quapropter fidei privatorum quorundam ac domesticorum præceptorum eum commiserunt, ut inspectoris munere patre fungente, prima elementa addisceret. Postea in illustre Altenburgensem Gymnasium est missus, ubi ex lectionibus WENZELII, Rectoris, Medicinæ Doctoris ac Poëtae clarissimi, M. FRISII Con-Rectoris, ac M. STERMII Sub-Conrectoris, tantos in humaniori litteratura fecit profectus, ut absolute quinquennio, in Academiam Lipsiensem dimitti potuerit. Vesana est multorum consuetudo, ut simulac nomen Academiae dederunt, Icaro more, subsidiis licet philosophiae destituti, ad altiora, quæ vocant studia provolvant,

lent. Sed aliter sensit NOSTER, qui justum pretium  
studiis Philosophicis statuere didicerat, & probe scie-  
bat, hæc studia adolescentiam alere, senectutem ob-  
lectare, secundas res ornare, adversis perfugium ac-  
solatiūm præbere: pernoctare nobiscum, peregrina-  
ri, rusticari. Quare scholas Philosophicas frequenta-  
vit AUGUSTI HENRICI MULLERI, Philosophiæ  
& J U. Doctoris celeberrimi. Hisce studiis rite præ-  
paratus cum esset, ingressus est amplissimum juris  
universi campum, ac in eo duces habuit MEN-  
CKENIUM, SCHACHERUM ac SCHREITE-  
RUM, de civitate pariter ac Academia optime me-  
ritum, celeberrimos illos JCtorum Lipsiensium tri-  
umviro. Præter hos, etiam aliorum Doctorum  
privatam fidelissimamque laudat informationem. His  
exhaustis laboribus, sexto decembri anni MDCCXIV.  
incliti JCtorum Lipsiensium ordinis examini se sub-  
jecit, ac die 6. Maji anni sequentis ab Electorali  
Regimine, prævio jurejurando in numerum Advo-  
catorum est cooptatus. Quo facto Grimmam se con-  
tulit, ut Praxin Theoriæ jungeret. Tandem ad per-  
antiquam nostram Hieranam se recepit, ibidemque  
Civis Academicus sub Magnifico & Consultissimo  
D. JOANNE PHILIPPO Streit / JCto, Uni-  
versitatis Rectore & Eminentissimi Principis Ele-  
ctoris Moguntini Consiliario Regiminis Effurtensis  
factus, etiam atque etiam petiit, ut consueto eo-  
quo rigoroso examini subjiceretur, petiti compos-  
factus, talem se exhibuit, ut ad ulteriora specimi-  
na eum admiserimus, quæ die crastinâ aggredierur,

8c

& post Lectionem ut vocant Cursoram ad supra me-  
moratam L. 6. ff. qui testim. facere possunt. Dispu-  
tationem Inauguralem

### DE INCESTUS PRÆSCRIPTIONE

In Auditorio JCtorum majori horis consuetis conti-  
nuabit. Quibus aetibus Academiæ Proceres, Stu-  
diosi, ut interesse velint, officiōse invitantur. Pu-  
blicatum Erfurti sub Facultatis nostræ Sigillo Domi-  
nica XVIII. post Pentecost. S. N. Anno MDCCXX.



L.S.

TA-OC (1+12)

56.



W18





de Tempore librum regalis; 35  
1720, 2

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS

HUGO FRANCISC. HUNOLD,  
J. U. D.

CONSILIARIUS REGIMINIS  
ELECTORALIS.

B. L. S.

ERFORDIAE,  
TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.